

De linguá Latiná ut linguá universali symbolæ nonnullæ in periodicis ad Bellorum Mundanorum fines editæ

Auctore Matthæo Gávia (Matthew Jay)

Universitatis Collegii Londiniensis

matthew.jay.15@ucl.ac.uk

[@MattJayResearch](#)

Hoc articulum (híc aliquantum mutatum) editum est in Voce Latiná 2019;219:36-45. Editum per interrete prid. Kal. Jul. MMXX apud www.matthewjayepi.com.

Prooemium

Anno præterito, 2019^o, saltem 18 scholæ conventúsve, linguæ Latinæ vivá ratione tradendæ dicati, habiti sunt mensibus Junio, Julio, Augusto. Ex his 92 diebus, 80 centesimæ linguá Latiná vivá occupati sunt; longissimumque tempus quo scholis interesse potuisses, omnino Latine loquens sine intermissione, in diebus 65 constitit.¹ Adde omnia seminaria aliis temporibus habita, omnia acroamata,² omnes circulos Latinos,³ omnes societates scholasticas, necnon omnia periodica sicut hoc quod tenes, et pellucidum patefactum est linguam Latinam nunc valere vigereque. Etiam in Studiorum Universitatibus exstant cursús qui sive partes curriculi scholastici sunt sive a societatibus discipulorum præbentur animi causá.⁴ Nemo dubitare potest quin sermo Latinus iterum renascatur.

Conditio autem hæc ex nihilo non est orta. Historiam Academiæ Latinitati Fovendæ per motum Latinitatis vivæ Gaius Licoppe jam tractavit in libro de illá Academiá deque eo quod post Bellum Mundanum Alterum evénit ut mundus Latinitatis cresceret in quod est temporibus fere nostris.⁵ Diebus pristinis, e.g., conventús

¹ Dico esse *saltem* 18 conventús: omnisciens enim non sum. Ecce index scholarum conventuum quem paravi apud www.circuluslatinuslondiniensis.co.uk/vincula.

² Ibid.

³ Index in Google Maps:

<https://www.google.com/maps/d/embed?mid=1IErsi89dopBygtPtIW2h12stDWs>

⁴ Ecce, e.g., cursus Universitatis Mancunii

(<https://www.manchester.ac.uk/study/undergraduate/courses/2020/00169/ba-ancient-history/course-details/CAHE30390#course-unit-details>) et discipulorum Societates Latinitatis Londiniensis (<https://soclalton.wordpress.com/>) et Oxoniensis (<https://www.oxfordlatinitas.org/>).

⁵ Licoppe G. *Academia Latinitati Fovendæ: ejus historia per motum Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)*. Fundatio Melissa: Marneffe, 2014.

permagni constituti sunt sicut Primus Conventus Universus anni 1956ⁱ cui fere ducenti participantes interfuerunt de viginti civitatibus, inter quos Secretarius Generalis Consilii Europæi Leo Marchal et senator Italus Quintus Tosatti. In actis aliorum conventuum tunc temporis nomina inveniuntur talium hominum, e locis rerumpublicarum celsis, nam Anglicus sermo non jam dominavit linguæque commune opus fuit: omnibus clarum fuit linguas duas vel tres non sufficere ut efficax et bonum commercium interesset inter delegatos in conventibus internationalibus. Plurimæ lingæ in usu jam erant et crescere incipiebant nationes in partibus orientalibus orbis terrarum. Ut monuit Wasicky anno 1944^o, labores maximos in symbolis scientificis interpretandis, et etiam ad orationes interpretandas in conventibus, postulati sunt.⁶ Rixæ sunt ergo ortæ, non solum apud classicos et scientificos, de linguâ internationale constituendâ, de quâ linguæ vernaculæ, confectæ et antiquæ certaverunt ut una ex iis fieret communis.

Nuper, per Universitatis meæ bibliothecam, nonnullas epistulas et symbolas Anglice scriptas casu invēni quæ apparent in periodiciis ante finem Belli Mundani Alterius (revera magnâ ex parte editæ sunt ad fines amborum Bellorum) et quæ spectant ad linguam Latinam ut linguam universalem.⁷ Nunc velim tibi, lector optime, præbere quod légi ut per hoc foraminulum aliquid Latinitatis vivæ illius ætatis colligamus, præsertim quid censuerint illi auctores de docendi methodis, de linguis confectis vernaculisque et de verbis novis fingendis.

De docendi methodis

Initium a serie epistularum quæ invenitur in periodico scientifico, *Nature* inscripto, faciam. Anno 1916^o apparuit illo in periodico nuntium mortis Professoris Guido Baccelli, anatomici, medici et politici Itali, qui, anno 1894^o, ut traditum est in nuntio, strenue contenderat, in Congressu Medicinali Internationali, ut lingua Latina fieret

⁶ Wasicky R. The use of an internationally understandable language in scientific publications and in congresses. *Science* 1944;99(2572):297-298.

⁷ In primis articulum de linguâ Latinâ ut linguâ universali e Gonzalez Lodge de quo audivi invenire volui. Multis vero aliis forte redditis, locutiones quibus quærebam auxi. Indicem sic librorum Universitatis Collegii Londiniensi quæsivi his locutionibus: «Latin as a universal language» - 7 editiones; «Latin as an international language» - 25 editiones; «Latin as an international auxiliary language» - 7 editiones; «Latin as the universal language» - 1 editio; «Latin as the international auxiliary language» - 1 editio. Omnes aliæ formulæ nihil reddiderunt. Ergo 41 editiones invēni ex quibus me certiozem feci aliarum symbolarum.

lingua universalis, rationibus docendi aliquantum mutatis ut doceretur vivá ratione.⁸ Dolendum est me non potuisse orationem quam dedit invenire sed prima pars data est in fasciculo periodici medicinalis *The Lancet* mensis Aprilis anno 1894^o, ex quá eum coram medicis delegatis Latine locutum esse comperimus.⁹ Argumenta ibi non continentur sed fortasse nobis licet divinare ex quibus scripsit eum putasse sermonem Latinum debere esse linguam internationalem propter, ut ait, gloriam Romanorum antiquorum et quia omnes gentes familiam unam constituent (quod sane est causa principalis linguæ communis desiderandæ). Sequuntur in *Nature* nonnullis post mensibus Lauder Brunton¹⁰ postque eum W.H.D. ille Rouse.¹¹ Quod Baccelli dixerat esse, scripsit Brunton, tam maximi momenti ac operæ pertium ut oporteat non tantum mentionem faciamus sed animos bene intendamus in linguam Latinam ut linguam universalem. Pertinere enim non solum ad scholasticos, rectores scholarum et ministeria educationis sed etiam ad omnes homines commerciales et omnes patriam amantes. Concedit lingua Latina, ut tunc temporis docebatur, paucis tantum scholasticis interesse sed res omnino aliter se habituram esse si methodi docendi aliquantulum mutarentur. Rouse, epistolæ Brunton respondens, dicit se sermonem Latinum docere sicut linguas Germanicam et Francogallicam; quod est plus Rouse nobis aliquid ordinis diei scholastici apud eum dat: primos quattuor annos discipuli ejus docebantur «tantum» 45 minutas unoquoque die!¹² Brown, anno 1945 scribens, relevat scholas suas sermonis Latini vivi constare in uno die, singulis septimanis.¹³ Et Brunton et Rouse monent sermonem Latinum adhibendum esse non solum in scholis sed quoque inter ludos, pausas, pocula. Hisce viis pueros—nam scripserunt de pueris tantum—ad volubilitatem pervinere posse.

Jam itaque his temporibus pristinis patuit nonnullis saltem docentibus linguam Latinam multo melius faciliusque doceri vivá ratione. Brown scribit quod multi qui methodum directam propugnant nunc sciunt: id est, cum doceantur modo translaticio, discipulos semper vertere in sermonem suum unde in Latinum ope lexicorum. Brown quoque fabulam pericula modi translaticii monstrantem refert in

⁸ Prof. Guido Baccelli. *Nature* 1916;96(2413):603-604.

⁹ The Eleventh International Medical Congress, Rome, 1894. *The Lancet* 1894;143(3684):883-886.

¹⁰ Brunton L. Latin as a Universal Language. *Nature* 1916;96(2415):649.

¹¹ Rouse WHD. Latin as a Universal Language. *Nature* 1916;96(2417):705-706.

¹² Quantum sciam, schola in quá docuit Rouse eo quo scripsit tempore est illa «Perse School» quæ adhuc exstat. Est, et fuit, schola privata. Hodie res classicæ unam horam unáquaque septimaná ibi docentur.

¹³ Brown RT. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Outlook* 1945;22(7):70-71.

quá discipulus quidam indicem ciborum paravit utens verbo «percutiones» pro verbo Anglico «beets»!¹⁴ Voluit eos potius associare verbum cum re ipsá et ergo Latine directe cogitare, ad quem finem iterum iterumque legere opera Latina simpliciora opus esse dixit, atque incipere cum sententiis simplicioribus. Fortasse Quintilianum invocat ubi Brown scribit etiam Ciceronem verisimiliter olim dixisse «Ego sum sapiens parvus puer» multis ante annis quam «Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio quam sit exiguum.»¹⁵ Etiam commendat formam acroamatum, quæ plerisque nunc in usu sunt:¹⁶ nam usus est discis phonographis «Victrolis» in scholis suis. Revera nihil stat novi sub sole! Methodos docendi e passivis in directas mutandas esse est aliquid quod plurimi auctores illarum epistularum inter quas nunc versamur identidem contendunt.¹⁷

Patet tamen non omnibus placuerunt hæc argumenta. Fuerunt, ut hodie, qui dicunt linguam Latinam adeo difficilem esse ut fieri lingua communis non possit. Thompson, e.g., linguam Latinam universalem omnino respuit: «manifestum est» Anglice inquit «constructionem et formulas grammaticas linguæ Latinæ tantopere complicatas esse ut a mundo hodierno bene in usu non possit ut methodus mundana communicandi.»¹⁸ At sunt qui maximopere hos vituperant. Itaque Gonzales ille Lodge talia: «Procul dubio non est verum linguam Latinam mortuam esse etsi æque certum est professores hujus sermonis eam necare strenuissime conantur.»¹⁹ Et Evans, postquam citavit auctores illustrissimos scientificos sæculorum præteritorum bene scribentes Latine, scribit: «Latinistæ ipsi desuitudinem linguæ Latinæ huc attulerunt. Insisterunt sermonem Ciceronis, potiusquam Plinii, æmulandum esse...

¹⁴ Ibid.

¹⁵ Quintilianus (Inst., Lib. 1, 21): «...ut corporum mox fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit, ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum et loqui primum incerta voce temptavit et haesit circa formas litterarum...»

¹⁶ Op. cit. n. 1.

¹⁷ Lodge G. Latin as a Universal Language. *The Classical Weekly* 1908;2(8):57-58. Vide quoque: Caspari WA. International Latin. *Nature* 1916;97(2421):81-82; Science and the International Language Question. *Scientific American* 1917;Nov 17:358; Paetow LJ. The Future of Latin. *The Classical Weekly* 1920;14(3):17-19; Nutting HC. Latin as a Tool. *The Classical Journal* 1920;15(7):385-387; Oldfather WA. Latin as an International Language. *The Classical Journal* 1921;16(4):195-206. Kent RG. Latin as the International Auxiliary Language. *The Classical Journal* 1922;18(1):38-44; Oldfather WA, Harman M. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Outlook* 1944;22(2):13-15; Beach GB. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Outlook* 1945;22(8):85-86; DeWitt NJ, Finch CE. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Bulletin* 1947;24:8-10.

¹⁸ Thompson GH. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Outlook* 1945;22(4):40-41.

¹⁹ Lodge, op. cit. n. 17.

Scientificus ergo ridiculo haberetur si illud sermonem imitandum imitare deficeret, dum vero si succederet paginæ suæ fere haud intellegibiles essent.»²⁰ Alii prorsus admonent non esse necesse nobis scribere sicut essemus Cicerones (qui scilicet tantum unus homo fuit); et sane non esse necesse opera pulcherrima componere.²¹ Potius Latinitas ætatum recentiorum bene adhiberi possit ut præcise et clare omnes res communicare possimus. Kent et Pætow, e.g., placet Latinitas mediævalis vel ætatis pristinæ modernæ, ubi lingua Latina e vero fuit internationalis, et ubi invenimus verba novata (de quibus plura infra) et structuras vernaculis modernis propiores.²² Et nonnulli scientificos recentiores citant, ut Newtonum, Galilejum et Linnæum²³ qui demonstrant nos posse sine dubio sermone Latino uti ad res spinosissimas scribendas. Ecce ergo illa argumenta quæ etiam hodie detractores linguæ Latinæ vivæ, methodos docendi modernas ignorantes, identidem repetunt et quæ contra dicunt propugnatores.

De linguis fictis et vernaculis

Fuerunt autem auctores quibus visum est linguam artificiosam fieri cummunem.²⁴ Non est hujus temporis historiam harum linguarum (v. gr., linguarum Esperanticæ, Volapük, Simplo, Ido) recensere nisi dicere excogitatæ sunt ut linguæ internationales auxiliares fierent. Dicitur tamen, quoniam sit lingua Latina nimis difficile discere, linguam confectam aut vernaculam adoptare ut linguam internationalem opus esse. Pauci vero linguam vernaculam proposuerunt. Constitutum enim erat in Exhibitione Lutetiæ Parisiorum anno 1900^o, inter alia, linguam internationalem debere non eligi ex linguis hodiernis nunc (tunc) in usu ne invidia nationalis orerer.²⁵ Jam ante Bellum Mundanum Alterum, lingua Anglica in rebus commercialibus præerat sed—mirabile dictu—Pike scripsit se non credidisse sermonem Anglicum omnino dominaturum esse!²⁶ Is contendit linguam Hispanicam oportere internationalem fieret, linguá Latiná ad res solum scientificas secretá. Præter eum, autem, sæpius

²⁰ Evans JW. Internatoinal Laitn. *Nature* 1916;97(2423):122. Idem argumentum invenitur apud Pike JB. Can Latin Be Revived as an International Scientific Language? *The Classical Journal* 1918;14(1):48-55.

²¹ Kent, op. cit. n. 17; Oldfather, op. cit. n. 17.

²² Kent, op. cit. n. 17; Pætow, op. cit. n. 17;

²³ Evans, op. cit. n. 20; Caspari, op. cit. n. 17; Tupper FA. Latin as the Universal Language. *The Journal of Education* 1893;38(16):267-268.

²⁴ Bailey RM. The Case for Espiranto. *Scientific American* 1917;Dec 22:475.

²⁵ Oldfather, op. cit. n. 17.

²⁶ Pike, op. cit. n. 20.

auctores invenimus linguas confectas, quam vernaculas, proponentes quia invidia nationalis abesset et facile discerentur.

Dignæ dictu sunt illæ linguæ e linguá Latiná extractæ, præsertim Interlingua—«Latino sine flexione»—pro quâ, ut mea fert opinio, argumenta absurda proposita sunt. Hanc linguam habere omnia commoda linguæ Latinæ sine ejus impedimentis scripsit Fanti,²⁷ a quo res gestæ humanitatis nostræ, quarum documentum esse dicitur lingua Latina, laudantur et propter has dicitur Interlingua debere lingua communis. Thompson²⁸ cum Fanti stat scribens linguam Latinam ab Interlinguá superari, contra quos autem scribit Kuszynski: omnia idiomata, ait, perduntur in Interlinguá, quod efficit ut potius difficilius adhibeatur quam facilius nam loquentes idiomata vernacula in Interlinguam inserunt quæ non intelliguntur nisi idiomata vernacula subaudita jam sciuntur. Kent eadem verba facit contra linguam Esperanticam.²⁹ Aliis verbis, linguæ naturales animum habent qui linguis fictis deest.³⁰ Etiam fuit investigatio geminorum quæ, ut scripserunt Oldfather et Harman, demonstravit tempus quod discere linguam artificiosam postulat majus est quam quod discere linguam naturalem pluresque admittuntur errores in linguá artificiosá descendá.³¹ Præter hæc argumenta, lingua confecta fieri internationalis lingua non debuisset, meá quidem sententiá, quia vinculum inter eas res gestas quas Fanti laudavit et nos scinditur nictu quasi oculi, quoniam omnis grammatica dissolvitur illis in linguis. Is qui Interlinguam scit (et nescit Latine loqui) verisimiliter non potest legere omnia quæ Latine scripta sunt sæculis præteritis. Opera perdit. Fortasse—non pro certo habeo—qui voluerunt Interlinguam (vel aliam linguam confectam) internationalem non potuerunt credere linguam Latinam facile doceri posse inque mente non habuerunt methodos docendi mutari posse.

Fuerunt prorsus auctores viam quandam mediam sequentes inter quos Warsley qui scripsit linguam Latinam quodammodo simplificatam fieri internationalem posse.³² Voluit, e.g., eliminare orationem obliquam classicam, conjunctivum in clausis subordinativis et casum locativum et voluit instituere ordinem verborum fixum. Sed

²⁷ Fanti A. Latin as an International Language. *Science* 1924;60(1554):334-335.

²⁸ Thompson, op. cit. n. 18.

²⁹ Kent, op. cit. n. 17.

³⁰ Beach, op. cit. n. 17.

³¹ Oldfather et Harman, op. cit. n. 17.

³² Warsley, op. cit. n. 39.

illa mihi videntur præceptoribus quam docentibus parcere quia omnia hæc facile doceri possunt methodis directis. Et nonne eadem argumenta contra talem linguam ac Interlinguam et alias lingas confectas valent?

De verbis novatis

Apud has symbolas multi super verbis novatis et rationibus verborum novorum fingendorum disserunt. Nimirum eadem argumenta tunc habebantur ac nunc: nonnulli viam meliorem sequi videntur, alii pejoram. Springhetti, anno 1958 scribens multo post auctores nostros, monet non esse nobis licentia «ut unusquisque ex linguæ imperitiâ, vocabula et constructiones ad novas significationes arbitrio suo detorqueat, vel ad aliquid exprimendum novas inducat formas non necessarias vel aliud significantes.»³³ Fingere nova verba sane necesse est, ut affirmaverunt Cicero et alii.³⁴ Sequentes tamen, ut mihi videntur, pejores vias invenimus Oldfather et Kent. Oldfather dixit, mirum in modum, quondocumque conceptus novus inventus esset, verbum Latinum omnino novum ei conceptui statim applicaturum esse, neque nova significatio verbo jam exstanti.³⁵ Unde, quæso, hoc? Sane, si necessitas postulat, verbum de novo fictum adhiberi potest; sed aliæ sunt viæ: per circuitationem verborum vel per analogiam significationis.³⁶ Pejus quod scripsit Kent. Fines verborum vernaculorum simpliciter mutandos esse ut in Latinum interpretaretur,³⁷ quæ est via absque dubio rationi haud consentanea.

E contra, Beach invenimus methodum probam commendentem.³⁸ Id est, quandocumque res moderna reperta est, fontes Romani consulendi sunt; si autem verbum est novandum, ratio Ciceronis adhibenda est.³⁹ Beach in ultimis congressum quendam probavit ad controversias constituendas, quod etiam multi alii

³³ Springhetti, A. *Institutiones Stili Latini*. Romæ apud Pontificam Universitatem Gregorianam; 1954, p. 19.

³⁴ Vide, e.g., librum I Ciceronis De Naturâ Deorum, 44: «sunt enim rebus novis nova ponenda nomina».

³⁵ Oldfather, op. cit. n. 17.

³⁶ Springhetti, op. cit. n. 30, p. 73.

³⁷ Kent, op. cit. n. 17.

³⁸ Beach, op. cit. n. 17.

³⁹ Vide n. 32 et librum I Ciceronis Academicum, 7: «aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda.»

comprobaverunt sive ad verba novanda sive ad alias res constituendas.⁴⁰ Manifestum est, si lingua Latina electa esset ut fieret lingua internationlis, ratione verborum novorum fingendorum opus fuisset magis etiam quam hodie. Quoniam controversiæ his de rebus hodie flagrant, non miror nonnullos concilium internationale proposuisse ut verba nova deliberaret constitueretque.

Clausula

Hoc in articulo statum Latinitatis vivæ ante finem Belli Mundani Alterius recensuimus (vel saltem particulam ejus statús) vidimusque multa argumenta pro et contra rationem vivam tunc temporis ut nunc facta. Non potuimus quod de pronuntiatu censebant disserere aut provincias proprias linguæ Latinæ internationalis.⁴¹ Fuerunt quibus omnino displicuit lingua Latina adhibere ut universalis vel internationalis propter, ut dixerunt, discendi difficultates, contra quos fuerunt qui, methodis docendi mutatis, proposuerunt linguam Latinam non solum facile disci posse sed etiam eos qui eam discunt posse auscultare, loqui, legere, scribere: ne multa, posse illam linguam adhibere omnibus in rebus. Ut hodie, periodici Latini edebantur,⁴² erant greges Latine loquentium⁴³ et controversiæ mentes nonnullorum occupabant de verbis novis fingendis. Etiam acroamata exstiterunt, etiamsi in discis phonographis potiusquam in interreti. Latinitas viva hodierna radices in hæc tempora agit,⁴⁴ aliquantusculum post quæ collocata sunt fundamenta illorum conventuum et eventuum de quibus Licoppe scribit in libro suo.⁴⁵ Possumus gaudere rem Latinam nunc (etsi tarde) augeri et mutari ut sermo Latinus active magis magisque doceatur. Sed est aliquid tristissimum his in symbolis et epistulis, scriptis ad fines amborum Bellorum Mundanorum. Vergentes ad hos fines, pax inter omnes valde desiderata est. Quamobrem, multi ad vincula inter

⁴⁰ Warsley, AE. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Outlook* 1945;22(6):58-59; Oldfather, op. cit. n. 17; Oldfather et Harman, op. cit. n. 17; Tupper, op. cit. n. 23; Caspari, op. cit. n. 17.

⁴¹ Nonnulli, e.g., res scientificas tantum consideraverunt et Pike (op. cit. n. 20) prorsus contendit linguam Latinam adhiberi tantum in rebus scientificis debere. Vide quoque appendicem ubi sunt aliæ epistolæ prætermissa.

⁴² Mentio illorum facta est passim in his epistulis.

⁴³ Beach, op. cit. n. 17, gregem describit qui incredibilem similitudinem circulis Latinis nostris habet.

⁴⁴ In quo cum Slednikov sto, scribenti in *Voce Latiná* nuper de Latinitate vivá in Italiá: Slednikov A. Schola Latinitatis Vivæ Italo-Vaticana quomodo explorari possit. *Vox Latina* 2019;55(217):430-436.

⁴⁵ Licoppe, op. cit. n. 5.

gentes firmiora facienda spectabant linguamque communem postulabant.⁴⁶ Sed miliones Secundo in Bello iterum perierunt, semper pax a mundo huc usque afuit et vestigia communitatis inter Europæos, et sane alias inter gentes, maximam tensionem patiuntur. Exitum patriæ meæ ex Unione Europææ maximopere doleo. Non credo linguam Latinam nos servare potuisset sed numquam propiorem aliis me sentior nisi Latine loquentibus: perfacile est intellegere cur, ut nos pace conjungeremur temporibus illis mæstissimis, linguam Latinam ullamve linguam voluerunt communem.

Appendix: epistolæ in periodico *Notes & Queries* editæ

Seriem epistularum quæ invenitur in periodico *Notes & Queries* (*N&Q*) inscripto consulto prætermisi. Hæ epistolæ magnâ ex parte sunt cum fabellæ facetæ in quibus auctores narrant de occasionibus linguæ Latinæ loquendæ tum de argumentis quæ supra tractavi. Dispositæ sunt in temporis ordine et Anglice dantur ut facilius invenire lector possit.

- MD. Latin as a Universal Language. *N&Q* 1877; 5 S. VIII, Aug 18, 132.
- Rigaud G. Latin as a Universal Language. *N&Q* 1877; 5 S. VIII, Aug 18, 132.
- FS. Latin as a Universal Language. *N&Q* 1877; 5 S. VIII, Nov 3, 355.
- Charnock RS. Latin as a Universal Language. *N&Q* 1877; 5 S. VIII, Nov 3, 355.
- AJM. Latin a a Universal Language. *N&Q* 1877; 5 S. VIII, Dec 22, 498.
- McGovern JB. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 15, 202-203.
- Wainewright JB. Latin as an Intenational Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 22, 234.
- JRH. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 15, 234.
- Fletcher R. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 29, 261.
- CCB. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 29, 261.
- H C-N. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 29, 261.
- Armstrong TP. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Mai 29, 261.
- JWF. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Jun 5, 282.
- TDFG. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Jun 12, 300.
- Greenup AW. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VI, Jun 19, 321-322.
- McGovern JB. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VII, Jul 3, 17-18.
- Buckland CSB. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VII, Aug 7, 112-113.
- Waineright JB. Latin as an International Language. *N&Q* 1920; 12 S. VII, Oct 30, 358.
- MacPike EF. Latin as an International Language. *N&Q* 1934; Jul 28, 67.
- Forse EJG. Latin as an International Language. *N&Q* 1934; Sep 8, 176.

⁴⁶ Haud omnes: ut Aronoff monuit (Aronoff JB. Latin as an International Auxiliary Language. *The Classical Outlook* 1945;22(6):59), lingua communis pacem non promittit. Ecce bella inter Americanos et Britannos.

- Welby A. Latin as an International Language. *N&Q* 1934; Sep 22, 211.
- Family Doctor. Latin as an International Language. *N&Q* 1934; Sep 22, 211-212.
- Benett-Stanford J. Latin as an International Language. *N&Q* 1934; Sep 29, 231.
- Forse EJG. Latin as an International Language. *N&Q* 1934; Oct 6, 247.
- Ericson EE. Latin as an International Language. *N&Q* 1936; Oct 3, 248.
- MacPike EF. Latin as an International Language. *N&Q* 1936; Oct 31, 319.
- Heron-Allen E. Latin as an International Language. *N&Q* 1937; Feb 6, 105.
- Knapp CA. Latin as a Universal Language. *N&Q* 1937; Feb 20, 141-142.